

**Dissertatio medica inauguralis de gonorrhoea virulenta ... / eruditorum  
examini subjicit Thomas Power.**

**Contributors**

Power, Thomas, -1873.  
Woodforde, James  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1823.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/q3c95se3>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATION  
IN A

GONORRH

ANSTENT  
et accubitus

D. GEORGI  
ACADEMIE DE

ANTHROPOLOGIE  
YOUNGIAN FACT

Pro C

STIMULUS EN MED

RITE ET L

EXCIT

THO

EXCITAT. AN

VALENTIN AUGU

I  
EX



(12.) N<sup>o</sup> 12  
DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
GONORRHŒA VIRULENTA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS POWER,

Hibernus,

SOCIETAT. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

---

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

DISENTATIO MEDICA

IN APOCALIPS

DE

GONORRHŒA VIRULENTA

QUAM

900 CARACT.

AVERTENTE SIBI MO. KUNZIN

PERCT. POWER

D. GEORGE BAIRD, M.D.

ACADEMIE. HANNOVER. E. P. P. P.

STUDIOSUM. T. P. P.

MEMOR.

ACADEMIE. HANNOVER. E. P. P. P.

NOBILITATE. FACULTATIS. MEDICÆ. HANNOVER.

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

THOMAS POWER

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN

1800. IN MEMORIA. SIBI. MO. KUNZIN



PATRI  
SUO CARISSIMO,  
PIERCE POWER, ARMIGERO,  
SEQUENTES PAGINAS,  
STUDIORUM PRIMITIAS,  
ANIMI BENEFICIORUM EJUS  
HAUD IMMEMORIS SIGNUM,  
SUMMA CUM REVERENTIA  
CONSECRAT FILIUS,  
AUCTOR.

James Woodford Esq  
With the Authors kin  
rest wishes for his hap  
ness & welfare





DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
GONORRHŒA VIRULENTA.

---

THOMA POWER Auctore.

---

PROŒMIUM.

**M**ORBUS, de quo in hoc opusculo, nempe Gonorrhœa, disserere statui, per longum tempus attentionem medici merito sibi attraxit; et multum inter se discrepant auctores, quoad viri naturam quod eam excitat. Multi et illi peritissimi sententiam sustinentes, ut cum veneno syphilitico idem sit contendunt; dum alii haud minus præclari virus quod Gonorrhœam inducit, specificum et proprium esse dicunt.



Cum ita medici peritissimi qui hanc rem tam ingeniose tractaverunt, caliginem quæ rem obtegit, dimovere nequeant, mihi adhuc inexperto, conari inter illos litem componere, non deceat; igitur in paginis sequentibus plerumque in silentio prætereundum est.

#### DEFINITIO ET HISTORIA.

SWEDIAUR in his verbis Gonorrhœam definit:

‘ Titillatio præcipue in urethræ parte anteriore,  
‘ in lacuna MORGAGNI sub frænulo; subsequente  
‘ post biduum aut quadriduum phlogosi locali,  
‘ cum ardore et dolore in mingendo, accedente  
‘ stillicidio materie purulentæ vel puriformis ex  
‘ urethra; corpore cavernoso urethræ præterna-  
‘ turaliter turgescente, plerumque cum erectioni-  
‘ bus membri virilis solito frequentioribus dolori-  
‘ ficis.’

Aliquando brevi tempore, aliquando tamen multo serius post contagionem acceptam apparet; sed plerumque inter diem secundum et decimum, vel paulo serius aut citius, sese ostendit; hujus irregularitatis causam statuere non possumus; a

diversis temperamentis haud pendere videtur, nec acrimonia materiæ venenosæ adaucta; et symptomata, etsi longius protracta, æque, ac si citius apparuerint, mitia sunt. Gonorrhœæ signa in diversis hominibus valde diversa, ac vix aut ne vix quidem in ullis duobus exemplis similia sunt. Plerumque ordinem sequentem sibi assumunt. Ægotans pruritum insolitum circa penis glandem et urethræ orificium, cum sensu ponderis, persentit; glans gradatim intumescit et rubescit, et ostium urethræ turgidum, et solito apertius fit. Inter urinam reddendam, dolor, sensum titillationis movens, urethram versus extremam, sentitur, qui gravissimus est dum ultimæ guttæ excernuntur. Urina in pleno rivo fere nunquam emanat; testes quoque nonnullis in exemplis, ægroto molesti sentiuntur; qui erectionibus frequentibus nunc vexatur, et præter consuetudinem in venerem proclivis est.

Brevi post hæc, guttula materiæ muco sano magis albæ, quæ gradatim increscit, ex urethræ orificio exprimi potest; et hic mucifluxus non solummodo quantitate augetur, sed quoque tenuior evadit, et variat colore; modo flavus, modo subviridis, et sæpe sanguine tinctus. Dolor inter



urinam reddendam maxime augetur, et sæpe cum guttis ultimis nonnihil sanguinis admiscetur. Glans penis magis magisque tumescit, ægerque tentigine frequente, præsertim inter cubandum (cum in lecto calidus fit), dolorifice infestatur, quæ tantum ei dolorem facessit, ut in somnum illabi nequeat.

Hæc indicia per dies octo decemve graviora manent; ex tempore vero, quo imminui incipit inflammatio, tentigo minus frequens fit, nec tantum doloris movet, et ardor urinæ non parvum decrescit, denique alia gradatim evanescunt. Hoc modo indicia hujus morbi solita eorum duratio et finis, semet ostendere atque evanescere, consueverunt; sed res nonnunquam aliter sese habet.

Namque aliquando alia et symptomata multo graviora occurrunt; glans et præputium inflammatione magna duraque infestantur; una sæpe aspectum cerasi induit, et materiam purulentam interdum exudat; alterum quoque crassius fit, et aliquando supra glandem contrahitur, aliquando attamen pone, nunc phymosin, nunc paraphymosin formans; glandis quoque et præputii excoriatio, ex materie asperitate sæpe hæc signa comitatur.



Hocce tempore distentio atque plenitudo totius penis, præcipue vero in urethræ cursu, observantur; penis irritabilis fit, tactu dolet, et ægrotus tentiginibus dolorificis et frequentibus magis magisque infestatur, quæ modo in unum latus, frequentius vero in declive, penem incurvant; hæ maximum dolorem movent, et sensu quasi lacerationis, vix aut ne vix quidem tolerandæ, haud raro comitantur; vasa lymphatica super penis dorsum duritie sæpe affecta, funiculis tactu similia sentiuntur. Interdum quoque, sed raro, bubones (Sympathetici dicti) in inguine formantur.

Vasa spermatica, hoc in stadio morbi, tumore et inflammatione afficiuntur; epidydimis gradatim et tandem ipse testis intumescit; hic dolore obtuso, statim in acutum evasuro, et sensu quasi ponderis, primo comitatur, atque raro abest, si æger multum se exercitaverit.

Quamvis urethra per totum cursum, plurimis in exemplis inflammatione non corripitur, tamen aliquando, remediis ineptis sumptis vel imprudenter adhibitis, peculiari ægroti mobilitate, vel fortasse maxima materiæ acrimonia, canalis usque etiam ad vesicæ cervicem inflammatur. Hinc multa et molestissima symptomata vix ægroto



toleranda succedunt; glandulæ mucosæ urethræ et glandulæ COWPERI afficiuntur, quæ ad supurationem procedentes, ulcera dira et vix sanabilia formant, atque interdum fistulam in perinæo inducunt.

Nunc inflammatio glandi prostatæ supervenit; dolor profundus in perinæo sentitur; æger mingere cupit; cum dysuria, aliquando etiam ischuria, sese interdum manifestat; atque haud raro glandula ipsa duritie et tumore afficitur, qui plerumque tactu digitorum per anum plane percipitur. Aliis quoque in exemplis vesicæ cervix et vesica ipsa, inflammatione, quæ urinæ meatibus, usque ad renes communicari possit, corripitur. Urina maximo cum dolore et difficultate redditur, et post certum tempus sedimentum mucosum, sæpe foetidum, deponit; aliis attamen in exemplis ex toto supprimitur.

Nunquam tamen sub eodem impetu, aut rarissime, hæc omnia signa infausta, in eodem ægroto observantur; sed si ulla eorum adsint, curatio morbi semper longior et multo difficilior erit. Historia ad finem nunc perducta, proximum est, ut ad causas dicendas transeamus.



## CAUSÆ MORBI.

De *causa prædisponente*, nil fere pro certo dicere possumus; veruntamen observatione, causam hujusmodi existere, constat, nec quosdam præ aliis multo facilius hoc morbo corripi, dubitandum est; namque multi qui veneno objecti infectionem raro evitant, et alii quanquam multo huic contagioni expositi frequentius, et etiam post concubitum, eadem fœmina, quæ alii infectionem dedit, tamen usque ad extremam vitam impune evaserunt; forsitan clima, tempestas, corporis habitudo, et idiosyncrasis, ut in aliis, sic in hoc morbo, inter causas prædisponentes haberentur, aut fortasse nimia urethræ mobilitate vel irritabilitate pendeat; et huic favere videtur, eos qui Gonorrhœam experti sunt, in morbum procliviores esse.

*Causa excitans*, ex viro aut veneno admodum subtile constat, et si ex effectibus, quos edat, judicare liceat, e particulis acerrimis consistente; hoc urethræ applicatum, membranam, lacunas, glandulasque ejus stimulat, ut inflammationem partium, cum adaucta muci excretionem, faciat,



qui viro admistus, et corrumpitur et vitatur. Enimvero, de partium natura, ex toto ignoramus, quomodo huic canali provehitur venenum: sunt qui affirmant, virus contagiosum a vasis lymphaticis balani penis absorberi, et per ea in urethra depositum esse; sed ut nulla absorbentia ad internas partes urethræ, ab externo peni procedentia, nobis experta sunt, verisimile est, hæc nunquam ita sese habere, et eo, probabilius est, quod coitu impuro ad orificium urethræ directe applicatur, et hoc modo morbus communicatur. Dum penis erigitur, summamque distentionem attingit, mucii portio naturaliter cavitatem urethræ cingentis exprimitur, et sub forma guttulæ ad urethræ orificium manet; hæc vero venereo impregnata veneno, in meatum urinæ, peni subsidente, vi capillari, veluti oleum inter laminas duas vitreas, retrahitur.

*De causa proxima.*—Inter medicos diu existimatum fuit, profluvium Gonorrhœæ ab ulceratione urethræ proficisci; sed hanc opinionem, cadaverum inspectiones, horum scilicet qui huius morbi indicibus affecti, vitas suas tradiderunt, in quibus nulla ulcera detecta fuerunt, in solidum refellunt.



Morbus nihil nobis esse videtur, præter actionem membranæ vasorum, propter stimuli acrimoniam, abnormem, fluxum muci a lacunis urethræ inordinate secreti, colore atque spissitudine mutati, inducentem, eodem modo ac alia stimulantia excretionem in aliis corporis partibus augent; ut vomitoria ventriculo, purgantia intestinis, errhinia naribus, admota, sic virus urethræ.

#### MODUS CURANDI.

Gonorrhœam nullis remediis adhibitis, sæpe sua sponte, præsertim si dum morbo infestatur, æger recte et temperate vitam agat, decessuram esse, experientia demonstrat; sed ut res in omnibus exemplis non ita sese habet, et sæpius formam magis complexam induit, igitur medici attentionem magis vendicat. Auctores quoad sanandi rationem, qua sola Gonorrhœæ obviam eant, nondum convenere; hinc variæ gentes atque varii medici habent quisque varia remedia, quibus contra illam uti solent.

Injectiones stimulantés et eæ vi astringente præditæ aliorum approbationem acceperunt; dum



alii usu interno atque externo mitium et blandorum medicaminum cum sedativis junctorum, fidem imponunt; nonnulli quoque purgantia majore minoreve vi prædita post alterum biduum aut triduum repetita, commendant; et denique alii iterum, dum ea reprobant, diuretica diversa, balsamica et quoque emollientia atque demulcentia ad astra extollunt.

Cum tamen ad morbi curationem progredimur, consilia medendi sequentia consequenda sunt; partes a materie acrimonia, et contra irritationem, quæ eam producit, defendere; et signa inflammationis quum sese ostendant mitigare aut dimovere; his peractis, fluxus fere cessat, aut parvus, facile exsiccat.

Sed, ut supra dictum, medici multum inter se, de remediis ad has indicationes peragendas, discrepant; mihi optimum videtur de horum singulis, quæ adhibentur dicere, et cum iis incipere, quæ ad primum consilium tendunt; tunc, quæ ad alia, in ordine tractare.

Usus liquorum mitium et blandorum, quales sunt oleum olivarum et lac recens dilutum, aliæque misturæ emollientes, in urethram frequenter immissorum, primo consilio bene respondent;



omnia irritamenta et stimulantia diligenter vitanda sunt, et liquores blandi tepidique, scilicet, infusa seminum Lini atque gummi Arabici, &c. liberaliter adhibendi sunt. Hæc remedia, viri acrimonia urethram, quasi clypeo substantia mucosa qua abundant, protexisse, existimatum fuit; sed vero celeberrimo CULLENO aliisque fides habenda sit, omnia diluentia (quum substantia eorum mucilaginosa, antequam per renes transit, mutata sit), easdem fere virtutes efficaciamque possidere. Hinc constare videtur, aquam tepidam æque omni consilio, ac quemlibet alium humorem, responsuram esse. Haud meum est dicere quantum veri huic sit, sed pro certo scimus substantias mucilaginosas, solutas, vel decoctas, cum fructu evidentiore, quam humores qui nil hujusmodi continent, datas fuisse. Semper liberaliter adhibendæ sunt, quoniam urinam minus acrem reddendo, dolorem, inter eam excernendam, qui sentiri solet, imminuunt, et quoque ejus mensuram augent.

Quoniam de primo consilio satis dictum est; proximum ut alterum consideremus restat, scilicet, inflammationem et irritationem aut mitigare aut dimovere; quod evacuantibus sedativis atque



regimine antiphlogistico ad exitum perducendum est.

Diuretica salina, in hoc morbo, ex asperitate quam ad urinam communicant, me judice, merito reprobantur; sed alia quæ his dotibus carent, et contrario lateri flectunt, multum usurpantur. Horum spiritus ætheris nitrosi utilissimus est, ut urinam magnopere movet, et quum demulcentibus junctus, ejus acrimoniam haud parum immittit.

Terebinthinæ atque balsami, multo cum comodo exhibeantur, gummi-resina Copaiferæ Officialis præsertim magno laudi digna est, atque auctore recente præclaro (viz. Dre ARMSTRONG), ut specificum in morbum habetur. Liceat ex libello ejus sententiam excerpere:—‘The copaiba will  
‘ sometimes cure an incipient gonorrhœa in two,  
‘ three, or four days, provided the symptoms be  
‘ not violent; and in the worst cases, it will generally  
‘ succeed within the first two weeks. But  
‘ it must be remembered, whether the gonorrhœa  
‘ be violent, or the contrary, slight or severe,—  
‘ whether the cure be accomplished in three days  
‘ or in fourteen, the copaiba must be regularly  
‘ administered for about a week or ten days after-



‘wards; otherwise, a relapse, for the most part,  
‘may be confidently expected.’ *Æger capiat*  
*drachmam ejus ex aqua, ope vitelli ovi aut mucil-*  
*laginis suspensam, bis terve indies.*

*Piper Cubebæ* in hoc loco haud inepte notari  
possit, ut alterum quod nuperrime multum sibi-  
met laudis attraxit, quippe quod raro frustra ex-  
hibitur: ‘If taken in a case of violent and recent  
‘infection, where the discharge is considerable,  
‘and the inflammation and scalding great, the  
‘painful symptoms will be removed in two days,  
‘and the discharge generally terminates on the  
‘third or fourth day\*.’ Si forte quis hic me in-  
terroget; quomodo hoc medicamen in morbum  
tollendum agit? fateor me non satis eruditum,  
explicationem ei propriam præbere; sed, ut olim  
CICERO, de duobus aliis remediis interrogatus,  
responsurum esse: ‘Quid scammoniæ radix ad  
‘purgandum quid aristolochia ad morsus serpen-  
‘tum possit, video; quod satis est: cur possit,  
‘nescio.’ *Æger pulveris drachmam ex aquæ cya-*  
*tho ter indies capiat, ejus usum continuans qua-*  
*tuor vel quinque diebus post fluxus cessationem.*

---

\* “Edin. Med. and Surg. Journal.”



Cum omnia cathartica dotibus stimulantibus agant, inflammationem augeant, oportet, præsertim quum arctissimus inter rectum et urethram nexus sit, ob quam causam usus eorum hodie medicis haud immerito derelictus est; si interea opus sit, ut alvus solvatur, ne fæces obstructæ illam irritationem quæ vitanda est, excitent, laxantia leniora, qualia sunt oleum Ricini, manna atque similia, aliis anteponenda sunt. Enema laxans quoque fructu usurpatur.

Raro necessarium est, sanguinem emittere: sed si æger juvenis et robustus sit, si diathesis phlogistica invalescat, et si indicia inflammatoria graviora, et multum febris symptomaticæ adsint; tunc sanguinem vena detrahare opus erit. Missio sanguinis topica per hirudines certa signa levandi gratia, ut phymosin, paraphymosin, tumoresque penis et testium graves, adhibere potest, et summa ratione ut mihi videtur; sed morbo leviori vix necessarium est. Nonnulli medici venam dorsi penis pertundere hortantur; cum vero ligatura sanguinem sistendi consilio haud facile applicari possit, hirudines huic anteponendas esse puto.



Cum ad sedativa decurrere cogimur propter gravem dolorem, tentiginem, atque irritabilitatem vesicæ, &c. quæ noctu tam graviter urgent, ut ægrotus absque ope alicujus narcotici dormire nequeat, præstat reliquis opium ejusve tinctura; quod si hæc ægroto propter idiosyncrasin, &c. parum grata sint, extractum sive tincturam Hyoscyami Nigri in eorum locum substituere bene oportet. Applicationes topicæ cum his compositæ, aut sub forma injectionis aut cataplasomatis, ad dolorem mitigandum, ex phymosi, paraphymosi aut tumore penis orientem, multum prosunt. Hoc quoque consilio addita fomentis multum, et cum fructu, usurpantur. Cum magna inflammatio adest, cataplasmata et lotiones ex acetate Lithargyri aut Cerussæ ad eam dimovendam haud inutilia reperta sunt; si æger incurvatione penis retro, tentetur, aut si vasa lymphatica supra dorsum ejus, duritie afficiantur, cum remediis supra præscriptis, frictione ex unguento hydrargyri cum pauxillo camphoræ uti expediet.

Sic signis inflammatoriis remotis, fluxus, ut supra dictum, fere cessat; quod si hoc non occurrat, et stillicidium adhuc manet, plerumque ad injectiones astringentes decurrere cogimur. Hæ



interdum in diebus tribus aut quatuor, aliquando vero longiore tempore, fluxui finem imponunt. Dom. B. BELL, in omni exemplo, quanquam inflammatio magna sit, in stadio primo, eas commendat: 'There is (ait) only one symptom which 'in this stage' (scilicet, in primo stadio, ubi morbus membranam mucosam circa unum vel duos pollices, ex urethræ orificio, occupat) 'precludes 'the immediate use of astringent injections, pain 'and swelling of one or both testes:' his addere liceat, si æger tumore testium nunquam antea vexatus fuerit, aut si ad scrofulam non proclivis, aut temperamenti irritabilis sit.

In hoc modo usus liquorum spirituosorum, et horum omnium quæ ad inflammationem excitandam tendunt, ab initio stricte prohibendus est; et quo strictius regimen antiphlogisticum observatum fuerit, eo citius morbus faustam ad finem perducere potest.

FINIS.

